



L. ANDR.

RESENDII Lusitani, ad
 epistolam. D. AMBRO-
 SII MORALIS viri
 doctissimi, in clytæ aca-
 demia Compluten-
 sis Rhetoris, ac
 Regij historiographi
 Responso.





Mo te, Resendi doctissimo te, & vni-
ce profecto diligo: vel de tua nobilitate,
quam mihi ego in bonis semper suspi-
ciendam & colendam existimaui: vel de
tua ista insigni eruditione, & eximia
Hispanæ antiquitatis cognitione, qua
nostrates omnes præcellere, & longo interuallo vide-
ris antecire: vt carminum tuorum iucunditatem, mihi
poetices amantissimo dulcissimam, orationum graui-
tatem eloquentiæ professori cõmendabilem interim
taceam. Accedit insignis tuus cãdor, & in iuuandis a-
liorum studijs benignitas, qua nunquam grauaris li-
benter alijs impertiri, quicquid ingenio & singulari
iudicio fueris assequutus, aut indefessa diligentia ali-
quando eruisti. Quis non hoc amare? Quis non pluri-
mi facere debeat? Ego vero & amo & admiror, & ho-
norum & eruditorum omnium nomine, humanita-
tis huius tuę ergo, ingentes tibi gratias ago. Offensus
nimirum & pessima & frequenti multorũ apud nos
tenacitate, qui siquid vel exiguum antiquitatis mo-
numentũ adepri sunt, ita occultant, ita alijs denegant:
vt perire sibi omnem eruditionem putent, si cũ quo-
quam id communicauerint. His de causis cum te iam
pridem amem, & iuuari abs te magno opere studia
mea posse intelligam, scribere ad te constitui: vt tu me
vicissim pro ingenua tua humanitate ames, mihi res-
cribas, & me opem tuam enixe poscentem libenter

a ij

adiutes. Scripsi enim Hispaniæ totius historiam ad Roderici Regis tempora, quinque Floriani libros septem alijs continuato opere prosequutus. Non quod mihi eius hominis scripta per placerent, vel quod tibi displiceant: sed quod iustis de causis mihi fuit, indidē ubi ille desijt incipiendum. Urbium origines, situs, nomina, & quæcunque ad illarum antiquitatem pertinebant, historię non admiscui: sed peculiari commẽtario seorsum adnexui: quia liberiora spatia ad hunc cursum plenius conficiendum mihi patere cuperem. Atque vtinam vtrunque id opus coram tecum relegere, & te admonente, atque adeo edocente corrigere mihi licuisset: tunc demum mihi met ipse in meo opere satisfacerem, & doctis omnibus satisfacturum sperarem. Nihil, ita me Deus bene amet, quãtum ad studia spectat, libentius vnquam in vita fecissem, quam vt hoc iter caperem: vt tecum aliquandiu versarer, multo abs te doctior recederem, opusque nostrum tali iudice castigatum innocens iam & plane absolutum reducerem. Sed quoniam tum ingrauescentis ætatis senium, tum etiam peculiaris valetudinis imbecillitas hoc ipsum vetat optare: quod vnum datur, tuæque benignitas tribuit sperare, te de multis per literas percontabor. Vides enim, mi homo, quantis & quam multis in rebus, suppetias mihi possis adferre. Ego vero hic iam mature, opem tuã, quo magno opere indigeo, implorare, & de multis interrogare te incipiam.

- i. Qualiter putes intelligenda postrema illa verba, quæ in pontis Alcantaræ delubro post epigramma

- leguntur. C. IVLIVS. LACER. &c. Nam mihi, nisi reconditum aliquid sub sit, difficilia videntur in intellectu. Quæ ego in historia dixi, cum his literis accipies.
2. Quæ apud authores leguntur de oppidorum nominibus, quæ in eodem ponte recensentur, mihi sunt percognita: neque tamen inde satis possum quippiam certi & perspicui afferre. Tu qui vicinior has regiones incolis, non dubito quin aliqua planiora & indubitata magis peruestigaueris. Ea mecum obsecro communicato.
 3. Ecquid habes, quo rationem reddere possis, & assumpti & continuati in regibus Gothorum prænominis Flauij. Ego enim in hac parte nihil habui quod dicerem, præter vnam coniecturam æmulationis imperatorum. Nam cum ab Constantino, & retro etiam, imperatores omnes Flauij prænomen continuerent: Gothi toties imperat. victores, æmulatione succensi, id ipsum etiam prænominis sibi videntur desumpsisse.
 4. Ecquid insigne & memorandum legeris alterutrum Reccaredum regem in vestra vrbe Eborensi fecisse: Nam si quid eiusmodi protuleris: omnè ego iam tuam illam cum Quebedio de Elboræ nomine concertationem diremero. Interim scias proximo Augusto Quebedium Toleti obijisse, opusque suum de sanctis Hispaniæ, vix dum inchoatum reliquisse.
 5. De Acoſta Rege siquid certum alicubi reperisti, id magno opere cupio intelligere. Quidam enim
a iij

vti scis, regnasse negant, quidam affirmant. Nummi, qui tanquam regis huius sint, ostentantur, ego adduci non possum, vt credam eius esse regis.

6. Si quos habes Gothorum Regum nummos nō graueris obsecro descriptos ad me transmittere.

7. Scire cupio concilium illud Emeretense, quo mense, quo die, quibus cum episcopis sit celebratum: Tum præterea siquid insigne in eo sit decretum.

Onero te multis questionibus: Tuę isti singulari eruditioni succenseto, quæ sola hæc nosse, & potest docuisse: tuæ humanitati irascere, quæ adytum ad percunctandū patefacit. Tu vero vicissim a me, siquid habeo quo tibi gratificari possim, requirito. Pauperis est numerare pecus: sed tamē quid à me possis optare, significabo. Nummos antiquos cum oppidorum Hispanorum nominibus priscis plus quadraginta diuersos congregaui. In his sunt. Saguntos, Castulo, Valentia, Graccurreis, Obulco, Sacili, Vlia, Carmo, Eborā Clartas Iulia, Corduba Colonia Patritia, Ercauica, Calcantum, Hispalis, & quædam alia.

Gothorum regum nummi hi sunt apud me.

Diui Ermenegildi aureus, quo tempore cum patre bellum gerebat percussus. Bone Deus, quem thesaurum nomino.

Fratris eius Reccaredi aurei quatuor, argenteus vnus, diuersi omnes.

Liuaæ huius filij aureus.

Suintilani aureus.

Recessuanti aureus.

Eruigij aureus.

Vuitterici aureus.

Vuambæ argenteus.

Vuittizæ & Egicæ aureus.

¶ Inscriptionum antiquarum ex multis Hispaniæ regionibus magnam copiam comparavi. Ex vetustissimo Ouetensis Ecclesiæ codice Sancti Desiderij martyris vitam transcripsi, ab Rege Sisebuto conscriptam. Multa alia inde habui. Eiusdem Regis epistolas aliquot, & eorundem temporum alia nonnulla. Chindasuindi Regis priuilegium, quo patrimonium monasterij ab Sancto Fructuoso in Bergido ad Compluticam erecti adauget. Post Regem Pelagium antiquissimorum regum nostrorum priuilegia quamplurima, leges item antiquas, fueros nostri vocant, quarundam ciuitatum nostratium vndecunque corrafi. Sed hæc nihil ad te. Aliorum omnium, quæ te oblectare, aut quaqua ratione tua interesse poterunt, quiduis optato, quiduis petito, descriptum quam primum remittam. Doctor Ioannes de Sancto Clemente Badajocensis ecclesiæ canonicus Theologus, qui has ad te mittet, tuas ad me transferendas tuto recipiet. Eum ego hominem multis de causis, tum amo mirifice, tum etiam plurimi facio. Neque ideo solum quia mecum sit aliqua propinquitate coniunctus: neque quia pene a paruo eduxerim in literis, amauerim pro meo, & in eo me oblectem, sed quod in eo ingenium, virtus, doctrina, magna omnia, ita decertent, vt non cuiuis facile sit, quid præcellat iudicare.

Ego semper vitæ innocentiam & sanctitatem præfe-
ro. Per eundē cum his literis librum nostrum de san-
ctis Iusto & Pastore accipies: quem eo consilio misi,
vt siquid in eo sit, quod te legisse iuuet, ea te pia & eru-
ditavoluptate minime fraudarem. Potui fortasse erra-
re, quia templum illud horum martyrū cum inscrip-
tione, ad Salaciæ inesse scripsi. Nā. F. Alfonsus Chaco-
nus Dominicanus, qui abs te mutuata eam inscrip-
tionem ad me misit, perperam titulum addiderat, vt
ego quo in loco reperiretur, plane non possem intelli-
gere. Interim scire peruelim, probes ne nostrā in per-
uestigādis vrbū antiquitatibus rationem, cuius exem-
plum in Complutensibus antiquitatibus cernere po-
teris. Ibi tu mihi nominari non potuisti. Vbicunque
interuenis, hominis & tibi amicissimi, & eruditionis
tuæ non vulgaris æstimatoris officium nō requires.
Tu vale, meque ama, & amanter rescribe.
Compluti. xxx. Ianuarij. M. D. LXX.
Vincentium tuum fac ad me mittas, quem ego cum
legere magno opere iam diu cupierim, nunquam da-
tum est inuenire. Iterum vale.

L. ANDRÆ RESENDII, LVSITANI,
ad epistolam. D. AMBROSII MORALIS
viri doctissimi, in clytæ academiæ Complutensis
Rhetoris, ac Regij historiographi Responsio.

D. AMBROSIO MORALI, VIRO
eruditissimo. L. Andreas Resendus, S.

A Deidus fere Martias, Ioannes à Sancto Cle-
mente necessarius tuus, libellum & literas
à te amantissimas, vna cum suis, etiam aman-
tissimis, ad me misit. Quid ego vtrique ves-
trum aliud respondeam, quam meæ me felicitati, ob
taleis viros amicitiam meam sponte ambienteis gra-
tulari, nihil equidem intellego. Certe amanteis, quan-
tum intēdi amor poterit, redamabo, dabōq; operam,
ne, quod priores diligere cœpistis, in eo errasse videa
mini. Tibi vero, cui has peculiariter modo scribo, im-
mortaleis ago gratias, de tua ista humanissima comi-
tate, comi, vt comior esse nō queat, humanitate. Nec
vtiq; ob id, quod mirificis me laudibus euehis, an ob-
ruis: Neq; enim tam elato sum ingenio, vt quæ scri-
bis mihi quasi meo iure adrogem, sed qd' tua ista hæc
laudatio quum ab incredibilei animi candore proficif-
catur, non potest iucunda mihi nō esse. Pudefacit igi-
tur multum me, multum tamen delectat. Lætus sum,
laudari me abs te pater, laudato viro, inquit apud
Næuium Hector, & vsurpat, Catoni respondens, no-
ster Cicero. Sed de his dicam modice. Vereor em̄ ne
mutuum reddere conatum esse me, quispiam suspice-
tur. Quod tamē potius deinceps spondeo, atq; in me

b

recipio. Nunc ad epistolæ tuæ præcipua capita. Est
sane quod ais, mea satis procliuis in communicandis
quæ vel ingenio, vel sedulo nauata opera, deprendi,
inueniuntur facilis. Quæ mihi non nunquam obest, in
sidiantibus meo labori plagiarijs quibusdam, qualis
fuit in plærisque amicus olim meus Barrerius, qui lo-
cos supra viginti candide impertitos, suæ immiscuit
Chorographiæ, non habita commonstratori gratia.
Quorum tamen non paucos ea dexteritate tractauit,
vt mihi illud Martialis in eū iure liceat detorquere.
Quem recitas, meus est o Fidentine libellus,
Sed male quum recitas, incipit esse tuus. Ingenue ma-
gis Valsus, tametsi neque semper, neque alicubi, maxime
exposcente loco, non dissimulanter. Ei certe quæ de
Romanis tribubus, siue legendis libris, siue inscrip-
tionum veterum monumentis, compereram, additis
auctorum priscorum testimonijs, comunicauit. Com-
pleueramque vnus & quadraginta numerum, hoc est,
supra triginta quinque confectas atque receptas, sex ali-
as. Non enim plureis eatenus diserte inueneram, præ-
ter treis, literis quamque tribus. CAM. CLV. HOR.
sæpe in marmoribus adnotatas, quarum integra no-
mina, neque apud idoneum scriptorem aliquem lege-
ram, neque sine veterum testimonio, sola trium literarum
coniectura, Camillam, Cluentiam, Horatiãme, pro
nunciare ipse audebam. Nam CLV. pro CRV. hoc
est, Clustuminam pro Crustumina dici, nõdum satis
eram, neque adhuc sum, persuasus, quum ciuitas vnde
nomen habet, Crustumium vocetur, non Clustumi-
um. Mihi autem non contigit marmor videre, vbi

CLVS, vel CLVST, scriptum esset. Hærebam igitur in scriptura, CLV. essetne interpretandum Clustumina, vt bene docti quidam existimant, an Cluentia, quæ extra numerum, sicut CAM. & HOR. tribus esset. Omneisq; has apud me in schedijs cõlectas, neq; dum stylo ordinatas eo consilio reprimebam, vt si lectione assidua certius tandem aliquid essem adsequutus, ea in re studiosis antiquitatis mea diligentia non deesset. Ecce autem in libris variarum resolutionum Reuerendi. D. à Fossis Rubris, Rodericopolitani Põtifis, prodijt de Romanis tribubus opusculũ, in quo inter multa alia, quæ vir ille eruditissimus & ex veteribus, & ex neotericis congeffit, quæ ego peculiariter lucubraueram, vna reperi, à Vasæo, sicut postea rescĩui, prodita, tantum cippi. L. Voconij, L. F. QVIR. Paulli, qui domi meæ est, facta obiter mentione, videlicet vt indicio esset, illuc scrinia mea, non meo cõsensu, peruenisse. Quod ægre minime equidem tulissem, imo vltro egissem gratias, si treis illas, quas pro ignotis adhuc habeo, etiam expediuisset. De quibus neq; verbum vllum fecit, neq; excessit triginta quinque numerum, neq; rem omnino ad amissim dolauit. Vicit ea in re, & nos, & illum, & ceteros qui nostra ætate id attẽtarũt, Onuphrius Panuinius, quanquã neq; in illo exactius aliquid nõ desideres. Sed ad rẽ. Vasæo homini quoaduixit benevolenti, leuẽ hanc pleni officij prætermissionẽ, libẽter cõdonamus. De fraude, cũ Barrerio, neq; sane iracunde, ex postulauimus. Neq; propter illũ simileisq; restrictiori animo in aliorũ iuuãdis studijs, si forte potero, equidẽ sum factus. Minus autẽ pos

b ij

se, vehementer doleo. Nō enim pudet inscitiam meā
fateri. Nam à peruestigandis eruendisq; antiquitati-
bus, ad quam rem videbar ab natura propensus, ma-
iora me studia, & necessaria quædam compedes re-
traxerunt, atq; semotum à doctorum hominum quo-
tidiano congressu, quo & erudiebar, & delectabar,
ad rudem compulsere inuitum, & in hoc patriæ angu-
lo, quasi in ingloria senectute delitescētē, retinuerūt.
Sed qualis ista quumq; eruditio nostra est, ad quam
velut ad grauioris itineris diuerticulum, nonnunquā
animi causa deflectimus, non enim nostri nos omni-
no poenitet, certe doctis ac tui similibus, semper erit
obnoxia. Quare omissis ambagibus, quod in episto-
la tua petis, vt te vicissim amem, etiam si nō petisses,
ipse vltro prouocatus, eram factururus. Atq; vt initio te
status sum, maximo te opere profecto amo. Vt vero
de studijs tuis loquar, probo consilium tuum, quod
vrbium origines & vetusta nomina historiæ rerum
gestarū nō admiscuisti. Impedisset enim hoc ipsum
historiæ quasi corpus, & narrationis cursum remora-
retur, ac perplexiorē reddidisset. Separato vero cōmē-
tario, antiquitatis studiosis eo melius, quo liberius sa-
tiffiet. Sed per tuam te fidem oro atq; obtestor, vt in
reddendis originibus, si nondum opus emisisti, reli-
giosiore te præstes, quam fuit in comminiscendis
Florianus, multæ alioqui lectionis homo.

Quæris à me quo nam modo intelligenda putem po-
strema verba inscriptionis eius fani, quod ad pontē
est Alcantaræ. C. I V L I V S L A C E R. &c. nec in-
tegram eorum verborum lineam misisti, quod equi-

dem maluiffem, quum verbū quod statim fequitur,
femiabrasum fit, tribus tantum, vt adparet, literis in-
fculptum. D S. Ego ante multos iam annos, quum
scalas loco adhibuiffem, horam integram, eōve plus,
etiā pluente cælo, legendæ infcriptioni impendi,
præcipue propter octauum carmen, quod falliffime
translatum, nullo penitus fenfu; circum ferebatur,
etiāq; dum circum fertur. Quod ex ductuum abra-
farum literarum veftigijs, me puto ad germanum ve-
rūmq; fenfum reftituiffem, cōprobantibus multis, qui-
bus id pofttea comunicauit. Sed hæfi, hæreocq; adhuc
in tribus illis literis, D S. non hæfurus fi duæ tan-
tum effent. D. S. Quæftio vero tua non eft nifi in ver-
bis quæ fequūtur. F. ET DEDICAVIT. AMI-
CO CVRIO LACONE IGAEDITANO.
Et fciscitaris an probem lectionem tuam & expofitio-
nem, quam extra epiftolam in cōmentariolo Hispa-
nice cōfecto miffi, fecit & dedicauit, amico curione
Lacone Igæditano, ad hūc fenfum, fecit, & dedicauit,
dedicationis munus obeunte amico Lacone, curione,
id eft, sacerdote Igæditano. Verbū autem CVRIO,
concifione dictū exiftimas, pro CVRIONE. id
eft sacerdote. Ita, vt curio Igæditanus, hoc eft, Sa-
cerdos Igæditanus, Laceri amicus, delubrum dedica-
uerit, quum nefas, vt ais, effet, line sacerdote hoc fieri.
Et curionem pro sacerdote, apud bonos auctores re-
periri, verbo, non re, confirmas. Dicā libere, bona tua
venia. Mihi argutius, quam verius, effe hoc videtur.
Primo, quia, tamenfi donarem curionem pro sacer-
dote reperiri, vim facis latinitatit contextui, Amico

curione Lacone Igæditano, pro eo quod esse debuisset, iuxta tuam sententiam, AMICO LACONE CVRIONE IGÆDITANO. Imo neq; sic, ostēdebat curionem, hoc est, sacerdotem Igæditanum de dicationē peregrisse, & templum solēnibus verbis fuisse effatum. Si enim hoc esset, ita significari debuisset, effante, vel dedicante, vel præcūte, amico Lacone, curione Igæditano, non autem distortissime, amico curione, Lacone Igæditano. Deinde, vt velis corrigere, quod dixisti, curione municipij Igæditani, & dicas, amico curione, id est sacerdote, Lacone Igæditano, vt curio non intelligatur sacerdos eius municipij fuisse, sed id municipium patria fuisse Laconis, restat tūc inquirendum, apud quem veterem auctorem legeris, id quod fidēter adseris, curionem pro sacerdote, aut potius flamine, in provincijs, & extra urbē Romam. Romam enim à principio Romulus in treis diuisit tribus, & tribum quamq; in decem curias. Tribuum trium præfectos, tribunos adpellauit, Curiarum triginta præfectos, vocauit curiones. Et qui curionum omnium princeps esset, is curio maximus est nuncupatus. Curiones autem hi, suæ quisq; curiæ curam habebant, & in calanda, hoc est, vocanda ad curiam Calabram, vel alio, contione, & in sacris faciendis, & in procurandis curialium commodis. A cura enim nomen erant sortiti. Vnde illud Plautinum est. Nam noster nostræ qui est magister curiæ. Diuidere argenti dixit nummos in viros. Fuisseq; id sacerdotium Romę honestum, vel ex vno L. Iuio potest liquere. At extra Romam, vbi nullæ cu-

riæ fuere, quo nã modo essent curiones: Inquies for-
 tasse, ab illa Romana consuetudine, etiam alibi Cu-
 riones pro sacerdotibus vsurpari. Hoc ostẽdendum
 à te est. Ego sacerdotes, flamines, ac flaminicas passim
 inuenio, curiones eo quo tu vis modo, nullũ. Quod
 si ego in studijs non satis profeci, abs te peto, vt quod
 rectius ipse nosti, amice impertias. Ad hæc, CVRIO,
 pro CVRIONE, extrema, breuitatis causa, mutila-
 ta syllaba, non magis admitto, quam admitterem. Ser-
 mo in sexto casu, pro Sermone, facilius admissurus,
 si tãtum CVR. scriptum esset. Insuper, LACON,
 sine dubio cognomen est, non nomen. Sacerdotem
 autem per cognomen tantum, atq; id obscurum,
 prætermisso priori nomine, contra Romano-
 rum consuetudinem notari ac describi: in templo
 quod ipse met dedicasset, minus certe conuenit. Qua
 re duabus illis dictionibus CVRIO LACONE,
 nomen & cognomen Igæditani illius significari non
 dubito. Quomodo igitur interpretamur, F. ET.
 DEDICAVIT, AMICO CVRIO LA-
 CONE, IGAEDITANO? Nempe sic. Si mi-
 nus placet sub audiri præpositionem CVM, vt si-
 mul cum amico Curio Lacone Igæditano fecisse,
 & dedicasse intelligatur, certe AMICO, adiecti-
 uum nomen erit, non substantiuum. AMICO,
 idest, fauente, iuuante, operam ve dante, Curio
 Lacone Igæditano. Quemadmodum apud Ho-
 ratium, diues amico Hercule. Sive CVRIVS
 LACON flamen fuerit, quod non multum cu-
 ro, siue faciundo pontis operi, atq; erogandæ in

operarios stipi præfectus, præcipue quū Igæditanus
esset, quuius municipales in pontis effectione primi re
cenentur, siue carminum illorum auctor. Quod pro
nunciare non possum. Atqui, si Curius Lacon præfe
ctus operi faciundo fuit, fauore sane illius indigebat
architectus, vt permitteretur iuxta publicū opus fa
num extruere, quod quidem non tam religione du
ctus, quam cupiditate sui nominis posteris cōmendā
di faciebat. Et quoniam ea in re facilem habuerat for
te Curium Laconem Igæditanū, id testificari voluit,
ac quasi gratiam reddere, facta nominis eius & patrię
mentionē. Fuisse quoq; Igæditano illi prænomen Cu
rius, verum videtur, ex multis marmoribus in ipsis
Igæditani municipij ruinis, vbi Curiorū familia fre
quēs fuisse inuenitur, vt ostendemus, deo bene iuuan
te, in nostra Lusitania, quę modo in incude versatur.
De nominibus municipiorum in eodem ponte recen
sitis, quæ neoterici tradūt, tibi nequaquam probari,
nihil miror. Sunt enim magna ex parte mera somnia,
& diuinationes, prope dixerim, ebrię. Sunt o exēpli
causa hæc. Coloniam Scallabin, Præsidium Iulium co
gnominatam, modo esse Trogillium. Norbam Cæsa
ream, Alcantaram, Iuliam Myrtilin, Vaenam. Et simi
lia, quorum cōmemoratio non modo fastidiū, sed in
dignationem etiam mouet, quando istorum nęnię
non in Hispania nostra sopiuntur, sed peruadunt, &
in Italiam, & in Gallias, & vsq; ad Germanos, atq; illic
homines sane doctos, sed nimiū credulos, in errores
puerileis inducunt. Ego non omnia illa, quæ in pōte
recenentur municipia, percognita habeo. Quæ verq;

pro compertis possum adserere, propediem vt spero, proditura exspectato. Nam ea epistolaribus cancellis concludi non possunt.

Exquiris ecquam rationem possim reddere, adsumpti & cōtinuati apud Gothorum reges in Hispania Flauij prænominis. Nullam certam, vt verum fatear. Sed si diuinationi locus esse vllus poterit, ego ita cōiecto. Flauium prænomen, quod à Vespasianis incæpit, reliqui Cæsares, qui vel sanguinis propinquitate ad illos pertinebant, vel eo se nomine gratiosos fore putabant, sunt prosequuti. Quem admodū & M. Aurelij Antonini Pij, magna ambitione nomē per multos decurrit. Quin & Traiani nomen, Decius quoq; adamauit. En tibi post multos annos, FL. Valerius Constantius. FL. Valerius Cōstantinus. FL. Valerius Seuerus. FL. Valerius Crispus. FL. Valerius Cōstantinus iunior. FL. Iulius Constantius. FL. Iulius Constans. FL. Nepotianus. FL. Claudius Iulianus. FL. Iuuianus. FL. Valentinianus. FL. Valens. FL. Gratianus. FL. Valentinianus iunior. FL. Theodosius. FL. Arcadius. FL. Maximus. Fl. Eugenius. Fl. Honorius. Fl. Theodosius iunior. Fl. Ioannes. Fl. Placidius. Fl. Marcianus. Fl. Auitus. Fl. Leo. Fl. Maiorianus. Fl. Vibius Seuerus. Fl. Anthemius. Fl. Olibrius. Fl. Leo iunior. Fl. Glicerius. Fl. Zeno. Fl. Nepos. Fl. Basiliscus. Fl. Augustulus. Fl. Zeno Isauricus. Fl. Anastasius. Fl. Iustinus. Fl. Iustinianus. Fl. Iustinus iunior. Fl. Mauricius. Fl. Phocas. Fl. Heraclius. Vides ambitiones Cæsarum, & inter Cæsares tyrannorum aliquot Flauiorum turbamē vt longam imperatorum reliquorum orientalium, se

C

riem, vsq; ad Palæologos, vt Stiliconem, aliōsq; mili-
tiæ magistrōs, vt Odouacrum tyrannum, vt Narsen
eunuchum, vt Belisarium, vt cōsulum centurias, silen-
tio præteream. Vnde ad Gothos in Hispania regnan-
teis id prænomen defluxit. Nam eorum maiores Fla-
uū adpellati non sunt. Arbitraris tu, æmulatione im-
peratorum, quos non raro vicerant, eos ita voluisse
nuncupari. Potest hoc esse. Quamquam ab hac sen-
tentia ista potissimum ratione discedo. Nam si æmu-
latione id fecissent, illi maxime fecissent, qui de Roma
vrbe triumpharunt, quasi sic, Romanis insultarent,
vt Alaricus, vt Ataulphus, vel etiam Gizericus Van-
dalarum rex, qui ex Africa veniens Romam est de-
prædatus. Quibus Flauium adiectū fuisse prænomē,
nusquam, quod equidem meminerim, adhuc legi.
Quare non pessima cōiectura existimarem, potius ex
adfinitatibus, & iam consanguinitate, vel ex beneuo-
lentiā & obseruantia erga Cæsares ipsos, conseruan-
dæq; amicitie causa, adulatione quadā esse id factum.
Nam quū Ataulphus Alarici propinquus Placidiam
Theodosij filiam in vrbe direptione captam, iugali
sibi vinculo socialisset, vt tradunt Orosius & Iornan-
des, atq; Alarico mortuo, in Gothorum regnum suffe-
ctus esset, paulatim Placidie moribus lenitus, ad
pacem se, & Romanorum amicitiam conuertit, Ho-
noriōq; adfini gratificari studebat. Post quem, Re-
gerico, qui subcesserat, suorum fraude interempto,
Vallia quartus ab Alarico sequutus est. Qui non mo-
do pacem cum Honorio cōfecit, sed sorore illi etiam
viduam, honorifice semper habitam, remisit, & bella

plurima, etiam contra gētileis suos, pro Romano gef-
sit imperio. Testatur hoc Sidonius Apollinaris, in
Anthemij Panægyri.

simul & reminiscitur illud,

Quod Tarthessiacis auus huius Vallia terris
Vandalicas turmas, & iuncti Martis Alanos,
Strauit, & obciduam texere cadauera Calpen.
Simili modo Theodericus Vesogothorū rex, vt eum
Sidonius Apollinaris, & Iornandes adpellant, siue
Theoderedus, si magis Roderico Toletano adsentia-
ris, pacem cum Valētiniano, quam prius fregerat, tan-
dem confirmauit, & cum Aëtio in campis Catalauni-
cis, pro Romanis, aduersus Attilam potētem Hunno-
rum regem fortissime pugnans, obcubuit. Iam Ama-
lasuintha magni Theoderici Amali filia, per obitum
Eutharici mariti Hispaniæ regis vidua relicta, suam
viduitatem, & Athalarici filij pueritiam FL. Iustino
imperatorī, quasi in tutelam commendauit, eo quod
pater Theodericus Athalarici auus è vita migrasset.
De qua re latius postea. Athanagildus vero contra
Agilam, siue Agilanem, vt Gregorio Turonensi pla-
cuit, auxilia ab imp. FL. Iustiniano petijt. Hermini-
gildus insuper, vt ab Ariano patre se defenderet, ad
Tiberij imperatoris parteis se trāstulit. Quod Grego-
rius Turonēsis libro, quinto, sexto, & octauo, memo-
riæ tradidit. Notum etiā est, Stiliconem Gothū, nem-
pe Vandalū, genere fuisse, vel Orosio attestāte, cap. 38.
lib. septimi. Is Flauij prenomē tum sibi, tum Eucherio
filio indidit, videlicet, vt Cæsaribus per quos ad im-
modicam illam potētiā erat euectus gratificaretur, ac

c ij

præcipue maiori Theodosio, qui ei Serenam adopti-
uam filiam, ex Honorio fratre natam, in matrimoni-
um dederat. Quam rem, quia ad Hispaniam nostram
pertinet, aliquanto perplexam, latius explicemus.
Theodosius Hispanus, ex prouincia Bætica, ciuitate
Italica, dux egregius Valētiniani comes, qui & in Bri-
tannia res magnas gesserat, & Africam à Firmitanide
Romano adseruerat imperio, vt vigesimo octa-
uo & vndetrigesimo lib. narrat Marcellinus, duos ha-
buit filios, Honorium & Theodosium. Hunc Valens
insanus ac superstitiosus imperator fecit interfici, vt
testantur Hieronymus, Orosius & Iornandes. Causa
fuit, vel inuidia, quod adserit Orosius, vel quod Valēs
temeraria curiositate quum de imperij subcessore ma-
gice esset scrutatus, siue ipse, vt Socrates in historia
Triperita narrat, siue Libanius rhetor & Iamblicus
Procli magister, vt scribit Zonaras, adcepissetq; sub-
cessurum eum, quuius nomen per quatuor has literas
inciperet, Th. e. o. d. interim fecit multos ex nobili-
bus, Theodoros, Theodotos, & Theodosios, inter
quos etiam Theodosium hunc virum optime de im-
perio meritum. Eo interfecto, Theodosius filius iam
tum nominatissimus, Nempe qui sub Valentiniano
Valentis fratre dux fuerat Moesiæ, prima etiam tum
lanugine iuuenis, princeps postea perspectissimus,
vt Ammiani Marcellini in calce lib. vigesimi noni ver-
bis vtar, periculi euadendi causa, vel vt parium decli-
naret inuidiam, quod Theodoro to placet, in Hispani-
am redijt, vbi & ortus fuerat & nutritus, ac cum fra-
tre Honorio priuatam quietamq; vitam ducebat. Ho-

nōrio tres erāt filiæ, Flaccilla, Thermantia, & Serena.
Et quidem Flaccillam, quam Theodoretus & Zonaras
Placillam vocant, Theodosius patruus adhuc priuatus,
vxorem duxit, ex qua Arcadium genuit atq; Honorium,
fratris iam mortui nomine illi imposito. Horum ad stipulator
est in laudibus Serenæ Claudianus.

gestabat Honorius arcto

Te pater amplexu, quoties ad limina princeps
Theodosius, priuatus adhuc, fraterna veniret.

Oscula libabat, tēq; in sua tecta ferebat. Et quum
Honorium iuuenem Serenam adloquentem inducit.

o patruī germen, cui nominis heres

Subcessi, sublime decus torrentis Iberi,

Stirpe soror, pietate parens. Tandem Theodosius

Theodosij comitis à Valente interempti filius, nō Honorij,

vt falso existimauit siue Sex. Aurelius Victor,

siue qui eum in epitomen redegit. Tandem inquam

Theodosius à Gratiano vocatus, & apud Sirmium Pannoniæ

ciuitatem imperator adpellatus, quum se Bizantium

contulisset, fratris Honorij filias Thermantiam

& Serenam, vxoris Flaccillæ sorores, adduci fecit, atq;

adoptauit. Confirmat hoc Claudianus his verbis.

Defuncto genitore tuo, sublimis adoptat.

Te patruus. & statim.

Addidit & proprio germana vocabula nato,

Quāq; datur, fratris speciem sibi reddit adepti.

Deniq; quum rerum summas delectus habenas

Susciperet, non ante suis impendit amorem

Pignoribus, quam te pariter, fidamq; sororem,

Litus ad Eoum terris adciuit Iberis. Adductas

b iij

igitur atq; adoptatas patruus Theodosius, principibus viris dedit coniuges. Nam Serena ætate iunior, Stiliconi nupsit, ex qua nati sunt Maria & Eucherius. Maria, Honorio Augusto Flacillæ materteræ, & patri Theodosij filio, in coniugium est tradita. Hoc ita Claudianus.

Adstitit, & blande Mariam Cythereia salutat.

Salve sidereæ proles augusta Serenæ. Ad tantam igitur potentiam Augustorum beneficio, & suis eo tempore meritis, euectus Stilico. Flauij prænomen adsumpsit. Atqui Theodosius comes, à Valente interceptus, & Theodosius eius filius, postea imperator, & Honorius huius frater, cum filijs Flaccilla, Thermantia, atq; Serena, vti dixi, Hispani & in Hispania orti educatiq; erāt: vt ostendit idem Claudianus in laudibus Serenæ, & in panægyri de quarto Honorij cōsulatu. Non ergo erit absonum suspicari ex ijs mansisse gentem in Hispania, quuius connubijs permixti Gothi, Flauium prænomen non modo non adspernarētur, sed etiam ambirent, præsertim vigente adhuc in imperio Flauiorum, Theodosij vtriusq; atq; Honorij progenie, quorum consanguinitatem adfinitatem ve Hispaniæ reges præ se ferrent. Sumo argumentum ex subscriptionibus tertij Toletani concilij, vbi inter proceres qui ex Ariana hæresi resipuerāt, ita legitur. Flauius, vir inlustri subscripsi. & ex Theodosia Seueriani prouinciæ Chartaginiensis ducis filia. Quod nomen non Gothicum est, sed in Romanum vltim ex Græcia trāssatum, atq; adeo Theodosianam præfert originem. Theodosia vero hæc Seueriani filia, Leoni

gildi Regis vxor fuit, & mater Flauij Recaredi. Quin
& Seuerianus ipse Theodosiæ pater, à Luca Tudēsi, &
Roderico Toletano, Magni Theoderici Amali filius
fuisse adseritur. Que res vt facilius intellegatur, Theo
derici subcessus, ex Iornauide in Gethicis, salutim ac
summotenus percurram. Theodemirus ex Amala stir
pe Ostrogothorum rex, Valemiri & Videmiri frater,
quum in Pannonia regnaret, pacis obsidem filium
Theodericum adhuc infantulum imperatori Leoni
Constantinopolin misit. Quem imperator nutriti fe
cit, & pueri elegātia, bonâq; indole delectatus, carum
habuit, atq; ad suos liberaliter donatum remisit. Vn
de adcepto paterno regno, à Zenone est vocatus, &
inter aulæ augustæ proceres adscriptus. Deinde ab
imp. in filium adoptatus, & consul ordinarius factus,
equestri quoq; statua honoratus. Demum Zenonis
permissu & voluntate in Italiam venit, vt Romam ip
samq; Italiam à Turcilingorum Rugorūq; tyranni
de liberaret, Zenone illi Senatū. P. Q. R. commē
dante. Dominus itaq; Italiæ factus, & vestitum, &
insignia sumpsit, quasi Romanorum Gothorūq;
rex. Missaq; ad Clodouæū, vel potius Clodouichum
vnde nobis Lodouici prodierūt, Francorum regem
legatione, Audeffedam illius filiam vxorem duxit, ex
qua filiam Amalasuintham suscepit. Genuerat vero
Theodericus in Moesia filias duas, quarum alteram
rerum in Italia potitus, ante quam ex Audeffeda libe
ros suscepisset, Sigismundo Burgundionum regi, vt
præter Iornandem Gregorius Turonensis cōfirmat,
licet Gulielmus Paradinus nō Sigismundo, Sed patrē

eius Gundebado adserat, alteram Alarico Vesogothorum regi in matrimonium dedit. Ex Alarico natus est Amalaricus. Cui parētib; orbato, Theodericus auus Thiodem, nostri Theuden adpellāt, tutorem in Hispaniæ regno adsignauit. Sed sublato in adolescentia Amalarico, Thiodes regnum inuasit. Hæc est Iornāde. Addamus ex sancto pontifice Isidoro, Theodericum hūc in Hispania quoq; regnasse annos quindecim. Quod ita intellego. Alarici generi comperto obitu, descendisse eum in Hispaniam, vt Amalarico nepoti infantulo regnū stabiliret. Inde adulto iam puero, sub tutela Thiodis regno tradito, Romam reuersum. Addit Lucas Tudēsis, illum in Hispania vxorē adcepisse, ex prima Hispanorum nobilitate, & forte ex Honorij ac Theodosij familia, quorum summa erat nobilitas. Ex qua vxore Seuerianū genuerit, Theodosiæ patrē, Herminigildi & Recaredi auum. In tāta rerum felicitate Theodericus, semper imperatores per quos creuerat, est veneratus, & summa reuerētia coluit. Quare ipse quoq; vt pote à FL. Leone nutritus, à FL. Zenone adoptatus, ordinarius cōsul, Romanorum deniq; & Italiæ factus Rex, in imperatorum gratiam, aliorum multorum more, Flauij prænomen non prætermisit. Quod eius nepos Amalaricus, & pronepotes Herminigildus & Recaredus suo sibi iure vindicare potuerunt. Ex hæcenus dictis, habeo vnde. FL. Amalaricus, FL. Herminigildus, FL. Recaredus dici potuerint, nimirum ille ab auo, hi à proauo mutuato prænomine, & probabili coniectura, quo ad Herminigildum & Recaredum, per maternā lineam

à Theodosijs Honorio ve, origine deriuata. Redeo
ad Theodericum. Is quum nosset in Hispaniæ parte
regnare Eutharicum Viterici filium, Beremundi ne-
potem, ex nobili Amalorum stirpe descendentem,
iuuenem impigrum ac strenuum, ad se vocato, filiam
Amalasuintham in matrimonium conlocauit, & con-
sulari dignitate honestatum, FL. Eutharicum Ama-
lum nuncupauit. Ex eo cõiugio procreati sunt Atha-
laricus & Mathasuintham. Eutharico defuncto, Theo-
dericus Amalasuintham filiam, Athalaricum nepo-
tem, & neptem Mathasuintham ad se recepit. Et se-
nio confectus, quum non diu se victurum intellige-
ret, ac prolem masculam non haberet, Gothorum
conuocatis primatibus, Athalaricum nepotem, vix
decimum ætatis annum tunc agentem, pro se regem
constituit, FL. Athalaricum Amalum adpellatum,
mandans, vt Senatam P. Q. R. amaret, & orienta-
lem principem studiose coleret. Quod Athalaricus,
& Amalasuintham mater quamdiu fecerunt, per annos
octo, & aliquanto plus, quiete regnarunt. Matha-
suintham Vitiges tyrannide occupata, vel nelentem,
sibi fecit coniugem. Sed à Belisario debellatus, vna
cum vxore ad Iustinianum perductus est, vbi sine
liberis fato concessit. Mathasuintham autem vidua,
FL. Germano patricio, Iustiniani Augusti ex sorore
nepoti, imperatoris iussu denupsit, peperitq; filium,
FL. Germanum vocatum. Hæc ex Procopio, qui sub
Belisario duce militauit. Et heinc quoq; habeo vnde
meam alam atq; stabiliam opinionem, ad finitibus
& cognatione, Augustorum Gothorumq; regias sibi
d

inuicem fuisse obnoxias, Gothorúmque in Hispania re-
ges, ad decus & honorem suum pertinere prænomē
illud existimasse. Absq; hoc, quod ita gratiores se fa-
cerent Hispanis gentibus, quæ in Romanos iam pri-
dem mores abierant. Adcipe iam FL. Recaredi, de so-
lo enim eo breuitatis causa loquar, cum gente Flauia
cognationem. Recaredus Theodosiæ fuit filius, Se-
ueriani nepos, FL. Theoderici Amali pronepos.
Amalasuinthæ. FL. Theoderici Amali filia, Seueriani
soror, magna Recaredi amita fuit. FL. Athalaricus &
Mathasuinthæ, FL. Theoderici Amali nepotes, FL.
Eutharici Amali & Amalasuinthæ filij, Theodosiæ
FL. Recaredi matris fuere amitini. FL. Germanus iu-
nior, FL. Germani & Mathasuinthæ filius, FL. Iu-
stiniani ex sorore nepos, & FL. Recaredus, inuicem
sobrini, vt Amalarici FL. Theoderici Amali, ex
naturali filia, quam Alarico Vesogothorum re-
gi nupsisse supra diximus, nepotis consanguinitatem
omittam.

Theoderici
concupina
in Mœlia.

Theodericus
Amalus, &
Audeflada
vxor.

Theoderici
vxor in
Hispania.

Vxor Sigif
mundi.
Burgund.
regis.

Vxor
Alarici
Vefogoth.
regis.

Amalasuin-
tha vxor
Eutharici.

Seuerianus.

Amalari-
cus.

Athalaricus
& Mathasuin
tha. vxor
Germani.
Iustiniani
nepotis.

Theodosia
vxor
Leonigildi.

Germanus
Iunior.

Herminigil
dus & Re-
ca
redus.

Verum hoc quod haecenus disputauimus, si parum procedit, age alia via, atq; indagine, rem istam peruestigemus. Langobardi Germanica gens, à Narse eunuchō, sed duce non instrenuo, propter Augustæ Sophiæ acerbum dictum, animo ex iniuria exasperato, in Italiam sunt sedibus suis euocati. Quam ita occuparunt, vt supra. CC. annos tenuerint. Horum, post annorum decem sub varijs ducibus interregnum, in Italia rex fuit Autharus, siue Autharis, Clephonis filius, vt scribit libro tertio Paulus diaconus. Matthias Palmerius Daphonis, filium dicit. Tanta est in barbaris hisce nominibus varietas apud auctores. Sed ego Paulo ex eadem Langobardorum gente oriundo magis adcedo. Sit igitur interea Autharus siue Autharis quuius velis filius. Hunc, inquit Paulus, etiam ob dignitatem, Flauium adpellauerunt. Quo prænominē omnes qui postea fuere Langobardorum reges feliciter vsi sunt. En tibi & Langobardos Flauij prænominis amatores, sumpto ab Authare principio, per FL. Mauricij imp. tempora, ob dignitatem prænominis ipsius, quo Augusti, Duces, Comites, & consules utebantur. Quid nī ergo, etiam ob dignitatem, Hispaniæ Recaredus rex, qui tam propinqua sanguinis communione gentem Flauiam contingebat, id prænomen adsumeret, quod in posteros hereditario iure transmitti posset? Sed vereor ne de Flauio prænominē longa commentatione tibi fastidium attulerim. Quam tamen ideo protraxi diffusius, quia Rodericus Toletanus pontifex, rei alioquī per se non satis apertæ, magnas ex negligentia tenebras obduxit.

Nunc ad alia.

Postulas à me, ecquid in sine memorandum ve lege-
rim, alterutrum Recaredum in nostra vrbe fecisse.

Nam siquid eiusmodi protulerim, omnem iam me-
am cum Kebedio, de Elboræ nomine cōcertationem
dirempturū te polliceris. De neutro apud nos quid-
quam adhuc legi. Miraberis forte id. Verum ego nō-
lo, vt concepta maiore quam pro re de nobis opinio-
ne decipiaris. Ego vir doctissime, per paucos rerum
Hispanicarum scriptores habeo, per q̄ parum ijsdem
rebus operæ impendi, vitæ instituto ad alia me stu-
dia necessario trahente. Quare si id quod à me petis,
tu potius mihi potes suppeditare, per amicitiam te
quæso, vt eius rei participem me facias. non quidem
dirimendæ controuersia gratia, quam pro satis di-
rempta ego habeo, sed vt eorum quæ ad meæ vrbis
historiam pertinēt nescius ne sim. Sisebuti regis tem-
pore argentariam officinam cudendæ monetæ in hac
vrbe fuisse adparet. Quod colligo ex aliquot argen-
teis nummis, apud nos ab heinc annos decem reper-
tis. In ijs, altera ex parte ipsius regis effigies est,
cum hac inscriptione. D. N. SISEBVTVS REX.
ex altera vero, signum crucis ab extremo in extremū
decussatim pertingentis. atq̄ hæ in medio literæ.
CIVITAS EBORA. per circum itum vero, hæ.
DEVS ADIVTOR MEVS. Turres quoq̄ va-
stissimæ duæ Sisebuto adscribuntur. A Recaredis ge-
stum apud nos nihil scimus.

Nec felicior ad respondendum sum de Acolta siue re-
ge siue tyranno, percontanti. Quem an in mundo na-

d ij

tus sit, haud quaquam adhuc scio. De Emeritensi cō
cilio respondebo expeditius. Titulus hic est, eotidem
isdemq; verbis. In nomine patris, & filij, & spiritus
sancti. Synodum quod gestum est in prouincia Lusitaniae, apud urbem Emeretensem, quae caput eius dignoscitur esse, duodecim episcopis in vnum conlectis, die octauo eiduum Nouembrum, anno octauo decimo Serenissimi & pijsissimi Reccesuinthi regis, Era. DCCIII. Sunt vero concilij capita viginti tria. Quae quia diffusiora sunt, quam ut inferi heic possint, praetermitto, integrum cōcilium cum mea Lusitania, fauente numine, publicaturus.

Legi cum voluptate prisca oppidorum nomina, in antiquis nummis, ut adseris, inscripta, vellemq; distinctius ista intelligere. praecipue quid sibi velit, EBO
RA, CLARITAS IULIA. Nam si ad nostram urbem referri id autumes, ea nō Claritas Iulia, sed Liberalitas Iulia cognominatur, Plinio referēte, & vetustis marmoribus palam attestantibus. Attubi, Astigitani cōuentus oppidum, Claritatis Iuliae cognomen habuisse, ex Plinio didici. Nec aliud eodem cognomine vsquam in Hispania legi. Oro ergo te, ut denuo ipsum nummum, vel mea causa, inspicias, & exacta diligētia inscriptionem recognoscas. Aduerte fatui palati mei fastidium. Gothorum regum nomismata, nō raro apud nos in veteribus ruinis reperiuntur. Quae aliquādo ad me adlata, propter barbaram literarum distortionem, nō magni haecenus pēdebam, quum tamen ab Romanis illis seculis, nummationem non me diocrem sedulo compararim, Eius me modo stulti-

tia sero poenitet.
Tuam in congregandis antiquis inscriptionibus diligentiam, merito laudo. Nec opus esse arbitror, admonere te virum talem, vt nō facile alienæ fidei credas, nisi tu te lapidem inspexeris. Multa enim adferri solent cōmentitia. Multa quoq; parum fideliter exscripta. Quot finxit, quisquis fuit, Cyriacus Anconitanus, dū antiquarij famā, etiam ab emētitis, aucupabatur. Quā perperam plæraq; vt omittā ficta, nō solum Petrus Apianus, & amicus meus Amantius, in libro cui, Inscriptiones sacro sanctæ vetustatis, nomē fecerunt, & ij qui Germanicas & Austriacas ediderūt antiquitates, sed qui Romanas etiā atq; Italicas. Eruditū nō vulgariter, & prope ad superstitionem vsq; religiosum oportet esse, eū qui vetusta monumēta describit. Adfecit me stupore Cōplutensium, pro receptis post liminio sanctorum martyrum Iusti & Pastoris reliquijs, simul publica hilaritas, simul profusa magnificentia. Ego nōdum annos decem & treis excesseram, quum istheic, curante matre, nam patre orbatus pridem eram, Antonio Nebriffensi præceptori operam dedi. Sed coorto inter funebria iusta, quæ Cardinali academiæ patrono, per eos dies mortalitatem exuto, soluebantur, nescio quo inter municipes & scholasticos tumultu, abductus inde sum. Ea tempestate, neq; tam validum, neq; tanta opulentia oppidum esse videbatur. Verum creuit academia, magistris semper eruditissimis florens, eoq; confluxere lectissimi adolescentes, summorum hominum liberi. Quo effectum est, vt nulli vrbium Cōplutū iam cedat. Sed ego

videor tam magnifici adparatus quasi choragum, & instinctorem internoscere. Quæ de inscriptione templi eorum martyrum ab Alphonso Chiaconio ex mutuata dicis, nihil miri est parum te explicare adcepisse. Nam ille, vt est earum rerū audius, biduo quod apud me fuit, dum schediâzein festinat, me neq; urgente, neq; ad summendum quæ veller horas præscribente, multa arbitrio suo conferfit, congestiq; potius, quam digessit. Rem si explanatius scire desideras, sic adcipe.

Exarrama fluuius à nostræ vrbis subvrbanis, ac poene ex pomerio primo tenuiter ortus, deinde emendicatis fluentis auctus, & mixtus Calipodi validiori flumini, in sinum Salaciensem iam nauigiorum capax ingreditur. Iuxta fluminis huius ripam, antequam Calipodi misceatur, paulo infra Terranum oppidum, sanum olim fuit, Iouis sacrum. vbi cippi aliquot scripti etiam dum perdurant. Id sanum in ualescente Christiana pietate dirutum, & postea resectum, in sanctorum martyrum templum est commutatum. Nec veteres cippos pijs homines aboleuerunt, sed addiderunt titulum huiuscemodi, quem cum suis soloecismis adponam. Petôq; abs te, vt literis supra titulum mutuo inter se complicatis, pauxillum operæ impendas. Ego enim extricare atq; enodare mihi me potui.



* HVNC DENIQUE EDIFICIVM SANCTO
 NOMINE CEPTVM, IVSTI ET PASTORES
 MARTIRVM QVORVM CONSTATESSE SACR
 ATVM CONSVMMATVM EST OC OPYS.
 ERA DCCXX.

Postremo scire expetis probem ne tuam in peruesti-
 gandis vrbiū antiquitatibus rationem, capta ab ijs
 quæ de Compluto fecisti coniectura. Si ad hoc exem-
 plum vrbeis cæteras prosequare, probo & quidem
 valde. Hoc enim est antiquitatem ab interitu vindic-
 care, atq; efficere, denuo vt iuuenescat. Non autem
 frigidissimis ethymologijs, & male sartis fabulis a-
 riolari. Tu meam similiter rationem ex ijs quæ pro
 Pacensi colonia disputauī, potes animaduertere.
 Sermocinandi tecum desiderio, in loquatitatis viti-
 um credo vix sentiens incurri. Sed ita res tulit, vt a-
 lias in scribendo breuitatis amator, euitare nequie-
 rim prolixitatem. Vincentium meum, quem deside-
 rare te ais, mitto, & epistolam quam Philippo claris-
 simo regi, per hos dies, à sacris Cineribus, scripsi.

c

Carmen quo regi nostro ætate qui sem tunc puero .
verum indole excellenti non puero, permissam regni
gubernationem sum gratulatus, vna mitto. Quod
suppressi hæctenus, contentus soli regi animum me-
um significasse. Nunc partim importunis amicorum
postulationibus, partim quia tibi, quantum ex te in-
tellego, poetices amatori, gratum fore exestimo, e-
dendum curavi.

A Kebedio, quem è vita decessisse ægerrime tuli, po-
stularam Iuliani Pomerij, & Isidori Pacensis scripta,
si in Toletanæ ecclesiæ bibliotheca forte reperirentur.
Hæc eadem, quæ apud te maiori eruditione ho-
minem, diligentem historiarum scriptorem, vete-
rumq; librorum supellectile instructiorem, reperi-
ri non ambigo, forsitan inuerecunde, sed tamen eni-
xissime peto. Vale, & quem ingenij tui bonitate a-
mare coepisti, eadem vicissitudine iam addictum,
amare perge. Eboræ. XIII. Calendas Aprilis.

M.D.LXX.

L. Andreas Resendijs, Lusitanus .
ex animo tuus.

AD SEBASTIANVM. LVSITANIÆ REGEM SERENISSIMVM.
ob regni adceptum regimen.

Sceptra bono auspicio cape rex auguste, tuūq;
Ponderibus regni iam nunc adsuesce ferendis.
Sātq; sup̄erq; datum tutoribus. incipe forteis
Pubertate humeros submittere tu te, minores
Nec regno prætexe annos. nihil indole tanta
Indignum facies, tua quum prætexta, senili
Cum gravitate, togæ laudem superarit honestæ.
Non solis matura venit Sapiencia canis,

Et sua primori virtus diuina iuuentæ
Munera partitur, sapiunt quibus inditus auræ
Plenior ætheriæ vigor, aut sublimius adflat
Ingenium magnas ad res mens prouida mundi,
Hæc tibi quam prono placidi clementia cæli
Numine contulerit, probat admirabilis ortus,
Et nox illa pio fletu vigilata tuorum
Vsq; ad Matutæ properantia sidera nobis
Felicem radiare diem natalis herilis.

Tum diuo comitata bono lux fulgida. nostras
Quæ lacrymas, luctūmq;, metūmq; extersit, & orbi
Mussanti obciduo Lusi quis regna vetusti
Sumeret, ac rerum trepidis, per gaudia vera
Solicitam exemit curam, peritura ne raptō
Cum genitore tuo, & decus amissura tiaræ,
Quorumdam quæ vota deus temeraria sanxit,
Impiaq;, & flatu dedit adsportanda Boræo,

eñ

An fando mansura magis firmauerit olim ,
Nec seriem euertat fatorum . oracula certe
Talia quum se se Orichio monstrauit in agro
Innumeras acies contra certare paranti
Felici Alphonso , dum regna hæc conderet olim
Ediderat . decus vnde trahunt insignia vestra .
Talia plagigero Christi Soteris alumno ,
Atq; alijs referata pijs . verum arbiter orbis
Seclorumq; pater , nunquam manifestius ipsum
Prodidit arcanum , quam nunc , quum pendula nuper
Momento exiguo spes vndiq; nostra labaret .
O pietas , regnum prope desperantibus , almi
In gentem nostram Iouis indulgentia regem
Te dedit , ac talem dedit , vt si turba rediret
Cunctorum qui scepra manu tenuere per orbem ,
Et permittatur de cunctis optio , nullum
Optemus nisi te solum . nec scire laboro
An fuerit similis . memores ne voluite fastos .
Destitui exemplis lætor . tibi detrahit ausus
Te conferre , datur cui par similis ve , negatur
Maximus . in parteis scindit conlatio summum .
Ille vel ille pius , prudens fuit ille vel ille ,
Aut fortis , iustû ve tenax , aut qualibet acri
Virtute ornatus . Quid ni fateamur oportet .
Ac ideo ingrati superis ne simus , & ipsos
Herôas memori fama vt meruere colamus .
Sed te opifex rerum per publica vota petitem
Suppliciter , nobis quum contulit , omnia in vnum
Congessit , nempe vt donum sciremus olympi .
Nam post busta tui vixdum cinefacta parentis ,

Cui mors lethæo comitata sopore nigrantem
Obtendit pallam, & pubis præuertit honorem,
Læta noui thalami spondam suffire cupressu
Funerea, Zygiaęq; sacrum interuertere diuæ,
Mirum ortum lacrymas inter, populiq; precantis
Lamenta, & liquidum rumpenteis æthera voces,
Pontificumq; sacros ritus, effataq; mæsto
Carmina singultu, ac fumanteis turis acerras
Vidimus, & patria veluti prodire fauilla.
Vt Phœnica ferunt ortu Titanis heoo.
Vidimus & diuum simul adfuisse patronum
Augustum faceret qui ex se tibi nomen, & intra
Cunarum lactisq; vices, manifesta fauentis
Signa Dei, quuius nutu imperiõq; tuendæ
Præsidibus genijs vitæ mandata pusilli
Sedulitas, & firma dati custodia regni.
Quid memorem quanta pietate puertia creuit?
Quantaq; purpureo probitas coniuncta decori?
Quid memorem dia pro maiestate sacrorum
Impigra quo studio mens ardeat? vtq; supremis
Ætatẽq; fidẽq; supra, conatibus inſtes
Ne bruta impietas aliunde has repat in oras?
Cultriciq; Dei genti inſidietur, eunti
Prisco more viam, obliquis adgreſſa dolose
Tramitibus? Peſtem hanc quum ſic puerilibus annis
Intente caueas, regnĩq; arcere labores
Ingreſſu, quid non poſt hac ſperabimus, aucto
Robore, & incrementa animo capiente virili?
Perge igitur pie rex, oſtenſaq; ſigna beati
Imperij ſub te cælo pandente futuri,

Vera reapse proba, & sumpto moderamine, de te
Solicitis iam redde vicem, spemq; hactenus altam
Erectamq; modo in cursum, quem Ianus inire
Bis tibi septenus monuit, ne incide morando,
Omina iam superi quæ portendêre, videri
Vera volunt. implere fidem tu posceris, atq;
Ambiguo procul implebis. non Cyrrha furorem
Vaticinum exagitat, mendax nec Apollo, nec Euan
Ludit Echionius vatem. præsagia mundo
Te nascente polus dedit indubitata. facessat
Nequior interpret. non palpum obrudimus arte
Blandiloqua, nec amœna tuis aut subdola castis
Auribus orsa damus. per me tibi dicit olympus,
Debitor officij quum sis, age diua propago
Gnauiter illud obi, summo de vertice mundi
Prospectat te sanctus auus, te lumine læto
Fama ingens proauus, toto cum stemmate regum
Lyriadum, trabea ac sceptro gemmante decorum
Vt videat, iam dudum arcem super adstat Olyssis,
Quam studio effecit, tenuit dum regna, beatam,
Quam modo barbaricis sublimius esse triumphis
Augendam te rege videt, ceditq; nepoti.
Me mea si cursum lentarint fata, deusq;
Forte senile tuos æuum protendat in ætus,
Iuuerit Aoniam rursus conscendere rupem,
Iam pridem emeritum, & fonti, pedis alitis ictu
Gorgoneus quæ rupit equus, procumbere, vt haustu
Vberiore, tuo nostrum os famuletur honori.
Sin vero tantum hoc, nullo exorata precatu
Inuideat mihi Parca decus, neq; cernere currus

Laurigeros, vitæ poterit pars vltima nostræ,
Vos ego tum vates, Pimplæ quibus antra patebunt
Pieria, qui fronde comas cingêtis odora,
Compello, huc alacri memores incumbite mente,
Materiam dabit ipsa dies, semp̄q̄ recentem.
Interea dum te crescente senesco, tametsi
Languit ingenij vis, nec seruare tenorem
Vena exsucta potest, nunquam te maxime regum
Non loquar, extremo doneciam tempore, noctis
Filia, vocis iter duro mihi pollice frangat.



Permissu & auctoritate Dominorum inquisitorum,
Andreas Burgius Typographus Serenissimi
principis Cardinalis, impressit
EBOR. Æ Mense Maio
M. D. LXX.

